IN AUSPICATISSIMAS NUPTIAS FIDELIS LAMPERTICI ET OLYMPIAE COLLEONI COM. [J. B. A. VALLE]

Giambattista Dalla Valle



IN

AUSPICATISSIMAS NUPTIAS

FIDELIS LAMPERTICI

ET

OLYMPIÆ COLLEONI COM.



VICETIÆ

TYPIS JOSEPHI TRAMONTINI

NONIS FEBRUAR. MDCCCLIV.

FIDELI LAMPERTICO

JUVENI OPTIMO LAUDATISSIMO

J. B. A VALLE.

Dies lapillo hæc est notanda candido,
Qua tu, Fidelis optime, optimam domum
Ducis Puellam, vinculo insolubili
Tecum sacrisque conligatam ritibus;
Gestitque tota jure læta civitas
Tuisque plaudit auspicatis Nuptiis.
Quas non dolus, non astus aut cupiditas
Mala apparavit adstruens ingratiis;
At orta cordis ingenique dotibus
Par æstimatio inchoavit, integri
Amoris ardor mutua et consensio
Perfecit, atque fausto adauxit omine.
Oh! rite factum sospitet connubium
Favor supernus, lætiorem et parvulis

Tibi, Fidelis, reddat ædem filiis!
Modo vetusto gratulantis interim
Benignus excipe hæc latina carmina,
Queis attigi beata Cœli gaudia;
Dieque tam festa, velut datum est, meæ
Jucunditatis ista signa profero
Gratique sensus jure debiti Tibi,
Qui me latentem incognitumque comiter
Soles frequenter visitare et alloqui,
Diu et mea in zothecula morarier.

PARADISI
PULCRITUDO ET BEATITAS

ECLOGA.

AMYNTAS ET LYCIDA

A RERUM SENSIBILIUM CONTEMPLATIONE

AD CŒLESTEM BEATORUM SEDEM ASSURGUNT.



AMYNTAS

 Lycida, aurato quoniam rubet Hesperus astro,
Atque satur grex in tuto requiescit ovili,
Cur non agresti modulamur arundine carmen?

LYCIDA

Ut libet; at sacrum meditemur carmen, Amynta;
Nam celebrare piget toties nymphasque deosque
Et nemus et fontes et pastoralia facta.
Fistula nostra Dei laudes Sedesque beatas
Concinat; hæ sacro resonent jam carmine sylvæ.

AMYNTAS

Hoc placet et melli est; Cœlum Sedesque canamus
Æthereas: tantum nostris, Deus, annue cœptis;
Hoc quodcumque Tibi nostri sit pignus amoris,
Proque tuis istas benefactis excipe grates.

LYCIDA

Nunc age rumpe moras, nunc sacros incipe cantus.

AMYNTAS

O Deus, immenso qui lumine Trinus et Unus
Lætificas Cœli sedes cœtusque beatos,
Ut mea mens agiturque tuo rapiturque decore!

LYCIDA

O domus, o sedes, o templa augusta Piorum!
O toties suspecta oculis cupientibus astra!
Ut mens exultat mea vestro rapta decore!

AMYNTAS

Formosæ valles et prata virentibus herbis,
Et clivi thyma quos violis, quos lilia pingunt
Mixta crocisque rosisque et purpureis hyacinthis;
At si Cœlicolum sedis speciemque decusque
Suspicias animo, tibi protinus omnia sordent.

LYCIDA

Dulce nitent visu flaventia messibus arva,
Dulce nitent juga cespitibus plantisque decora,
Queis pyra, queis uvæ, queis suave rubentia poma.
At si Cœlicolum sedis speciemque decusque
Suspicias animo, tibi protinus omnia sordent.

AMYNTAS

Crystallo et vivis saxis et iaspide muri
Cœlestis Solymæ exsurgunt, mirisque coruscant
Bissenæ gemmis portæ postesque smaragdis.

LYCIDA

Omnia stant auro atque indis distincta lapillis,
Chrysolithisque viæ fulgent puroque metallo,
Tectaque beryllo et rubeis ornata pyropis.

AMYNTAS

Quam rutilus Sol mane novo caput exerit undis,
Protinus et maria et terras cœlumque serenat
Lætificum jubar effundens! Sol attamen umbræ
Fit similis, quando spectes super astra replentem
Luce Deum immensa pulcherrima templa Piorum.

LYCIDA

Quam clara ingreditur niveis subvecta quadrigis
Cœli luna vias et furvas disjicit umbras!
Clarior at quanto, Virgo regina, nitescis
Alma Dei Mater! quanto splendore beatas
Exhilaras ædes solio subnixa corusco!

AMYNTAS

Nox simul ac placidis surgit taciturna tenebris,
Quot subito astra micant cœlo, et discrimine certo
Usque suos iterant per inane volantia cursus!
Non secus astra velut supera quot in æde Piorum
Agmina Cœlicolum numero majora relucent!
Gestit ibi manus angelica effulgentibus alis
Ordinibus distincta novem; junctusque Prophetis
Cœtus apostolicus divina pace triumphat.

LYCIDA

Tum qui pro Christo innocuum fudere cruorem
Purpureas gaudent palmas et serta gerentes;
Vosque sacerdotes sancti, doctique magistri
Christiadum; vos queis decus est et gloria prima
Virginitas; et qui Patriæ cœlestis amore
Desertis inopem vitam duxistis in antris;
Quæque aliæ atque aliæ æthereæ fulgetis in aulæ
Concilio variæ linguis habituque phalanges.

AMYNTAS

Mens nequit æterni sibi fingere gaudia Regni,
Nedum mortali valeat quis farier ore.
His tantum, queis sorte pias attingere sedes
Concessum est, liceat cognoscere gaudia Cœli.

LYCIDA

Sublimi quantum tellus hæc distat Olympo,
Et quantum occidui solis pars distat ab ortu,
Quantum nocturnæ vincuntur luce tenebræ,
Humana hæc distant oblectamenta supernis.

AMYNTAS

Quid volucrum gelidis resonantia carmina sylvis?
Quid frondes inter jucundæ sibilus auræ,
Aut per saxa fluens rivus trepidantibus undis?
Quid pastorales calami cantusque profani
Angelicis certent diæ concentibus Aulæ?

LYCIDA

Umbra quid herbiferi collis dulcissima fessis,
Et tranquilla quies lenesque sub arbore somni?
Quidve voluptates, quas longo humana labore
Vita petit fundens argenti pondus et auri,
Deliciis certent diæ cœlestibus Aulæ?

AMYNTAS

Vita mari similis, ventis agitamur et undis,
Undique navifragæ rupes syrtesque dolosæ.

LYCIDA

Terra mihi Babylon, sedes tristissima luctus
Servitii exilii, sedes infausta malorum.

AMYNTAS

Hic madidant imbres, hic crebra tonitrua terrent,
Et motu horrifico tellus nimbique sonantes;
Cum nos excipiet sublimis regia Cœli,
Cum nimbis imbres aberunt sonitusque procellæ.

LYCIDA

Hic nix, hic glacies, hic bruma exasperat artus,
Immodici exurunt hic membra caloribus æstus;
Cum nos excipient sublimia templa Piorum,
Non calor officiet, non inclementia cœli.

AMYNTAS

Non morbi et febres illic, non tristis egestas,
Non fraudes, non dira fames, non ægra senectus;
Pulcra valetudo at semper florensque juventa,
Et quæ deficiant nunquam genus omne bonorum.

LYCIDA

Non labor et fletus illic, angorque timorque,
Non dolor et gemitus, non saucia pectora curis;

Suavia securæ sed erunt solatia vitæ,
Lætitiæ æternæ risus, æterna voluptas.

AMYNTAS

Dulce erit æterni lætari pace triumphi;
Inspectare Deum immenso fulgore micantem,
Atque Unum Trinumque simul discernere Numen
Lucis in oceano; Christique videre superno
In solio Matrem rutili splendoris ovantem
Lætitia, raptam in Natum Sponsumque Patremque;
Aligerumque choros, exultantesque Beatos
Supremo mixtos una per sæcula Regi
Æternos plausus, æternas tollere laudes.

LYCIDA

O Deus! o Cœli non enarranda voluptas!
Non ita confixus calamo, sitientibus æstu
Faucibus, aspirat fontanas cervus ad undas,
Ut mea mens ardet Cœlumque Deumque tueri.

AMYNTAS


O Divum formosa domus, sedesque beatæ!
Ad vos oh quoties lacrymans suspiria tollo!
Non adeo mœrent abstracti a matribus agni,
Ut mœrore premor tam lætis sedibus absens.

LYCIDA

O Solyma, o nostro finem impositura labori,
Ecquando linquens terras tua templa subibo?
Ite dies, properate dies, excurrite menses,
Dulcia lætitiæ præpandite lumina nostræ.

AMYNTAS

O Solyma, oh quando ferar in tua mœnia tandem
Exurgens rapido ceu pura columba volatu?
Ite dies, properate dies, excurrite menses,
Dulcia lætitiæ præpandite lumina nostræ.



ΤΩι ΝΕΟΓΑΜΩι



ΑΡΕΤΗ ΚΑΙ ΚΤΗΜΑΤΑ

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ

Ἄργυρον εἶγε πολὺν, καὶ κτῆμα καλήν τε γυναῖκα,
Ἀλλ' ἀρετὴν τῶνδε δῶρον ἄμεινον ἔχεις·
Ἥδε μόνη καὶ θέλγμα βίῳ τέρψις τε γλυκεῖα,
Ἄνθεσιν ὥστε δρόσος, ὄμμασιν ὥστε φάος.

